

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**De Apostasia 2. Thess. II. v. 3 Disserit Simulque Ad
Orationes Valedictorias**

Herbart, Johann Michael

Oldenbvrgi, [1761?]

VD18 13535889

[De Apostasia 2. Thess. II. v. 3 Disserit Simulque Ad Orationes
Valedictorias]

urn:nbn:de:gbv:45:1-19714



In scribendis dissertationibus, quibus ad actus oratorios invitare soleo, hæc mea est ratio, vt ex penso aliquo, quod sub manibus est, scholastico, argumentum plerumque hauriam. Cum igitur haud ita pri-
dem Epistolas Pauli ad Thessalon. pertractarem; *Apostasia*, quam Apostolus Cap. II. 3. prænuntiat, digna mihi res programmate videbatur. Medita-
tiones itaque meas hac de materia qualescumque æqui lectoris judicio lubens
permitto.

Duplicem Christi, post abitum ad Patrem cælestem, primo scilicet ad peculiare idemque severum in gentem Judaicam judicium exercendum, remque ejus publicam penitus evertendam cultumque Leviticum abolen-
dum; deinde vero ad judicium in universum terrarum orbem, futurum esse
reditum, plurimi nostræ ætatis, iidemque maximi nominis Theologi, præ-
lucente sacro codice, solidis innixi rationibus, affirmant. Necesse autem
est, vt notas probe perspectas habeamus, ex quibus colligi certissime po-
test, vtrum in dato aliquo loco de *priori*, an vero de *posteriori* adventu ser-
mo sit? Sive enim Christus ejusque legati de priori, sive de posteriori
agunt; utrinque iisdem fere tropis & figuris pœticis utuntur. Vnde fieri
facile potest, vt lector non satis attentus diversos istos actus confundat.
Digna omnino res est, quæ exemplis illustretur. Matth. XVI. 27. 28.
discipulos docet Christus: *filium hominis venturum esse in gloria patris sui cum angelis suis*; *esse autem quosdam hic stantium, qui non gustaturi sint mortem, usque*

que dum videant filium hominis venientem in regno ejus. Eadem fere verba repetita legimus *Marti* VIII. sub finem & sub initium Cap. IX. Cum igitur Christus expressis affirmat verbis, fore nonnullos, qui tunc adstabant, superstites; quis quæso, de priori adventu ad judicium in gentem judaicam exercendum illum loqui, negare ausit? Integro capite XXIV. ejusdem Matthæi, a capite ad calcem, vivis coloribus ab acerrima tempesta te desumtis depingit Salvator noster eversionem urbis Hierosolymæ & totius regionis Judaicæ devastationem. En sublimes dicendi figuras divinis vatibus tantummodo usitatas! *Sol obtenebrabitur, nec dabit luna fulgorem suum, & stellæ carent de cœlo, & potentia sive firmamenta cœli commovebuntur.* Et tunc apparebit signum filii hominis in cœlo; & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cum potentia & gloria multa. Non enim de ultimo adventu ad universale totius orbis judicium hæc intelligi posse, patet sole clarius ex versu 34. ubi discipulos suos docet Christus, *non præterit tamquam generationem sive æratem i. e. multos eorum in vita mansuros, donec ista, quæ prædictisset, eveniant omnia.* Quid? quod totus orationis contextus per integrum caput hac de re dubitare nos minime sinit. Huc referendum puto locum apud Johannem Cap. XX. 21, 22. ubi Christus Petro interroganti, *quidnam de Johanne futurum fit?* respondet: *quid ad te? si volo, ut maneat, donec ego venio.* Taceo de locis haud paucis in Apocal. obviis. Matth. autem Cap. XXV. occurunt quidem similes dicendi figuræ. Versu enim 31 & 32. *cum venerit filius hominis, inquit Christus, in gloria sua & omnes sancti Angeli cum eo; tunc sedebit super throno gloria sua & congregabuntur coram ipso omnes gentes & separabit eas a se invicem.* Quid autem quæso obstat, quo minus & hæc verba de singulari judicio in populum Judaicum interpretetur? Ea nimurum, quæ sequuntur, prorsus aliud suadent, nosque convincunt, de extremo hic agi judicio, eodemque universali. *Abibunt enim improbi, secundum versum ultimum, in aeternum cruciatum, & justi in vitam aeternam.*

In utraque Pauli ad Theffalon. epistola de adventu Christi agitur. In priori epistola de ultimo judicio sermonem esse, docet Cap. IV. 16, 17. quippe quo cum eo mortuorum exsuscitatio connectitur; in epist. autem poster. longe aliter se res habet. Ejusmodi enim occurunt momenta, quæ cum ultimo adventu parum congruere mihi videntur. Faciamus periculum!

1) Lo-



1) Loquitur Paulus de adventu isto, tanquam de re propinqua, quam nosse Thessalonicensium plurimum intererat. Cap. enim II. 5. nonne recordamini, inquit, me vobis ea jam significasse, cum apud vos adhuc præsens essem?

2) Loquitur de memorabili quadam defectione, quæ adventum Christi antecessura sit, vers. 7. *mysterium ejus iniquitatis (defectionis) jam efficax esse*, i. e. clanculum jam agitari ejusmodi nefanda consilia, docens.

3) Monet eod. versu, esse, qui ea adhuc detineat, compescat, supprimat; quo sublato e medio, revelatum iri defectorem (*αροφον*) quem Dominus perditurus sit apparitione adventus sui.

4) In medium profert Paulus eadem appropinquantis adventus signa, quæ ipse Christus exposuit discipulis suis Matth. XXIV. fore nimirum, qui pro veris Prophetis se venditantes prodigia & portenta s. facta miracula præ se ferant. &c.

Superest igitur unica tantum quæstio, quænam & qualis fuerit ista defectionis seditio, cuius ver. 3. a Paulo facta est mentio? In s. litteris de defectione a Fide quandoque commemorari, lubens fateor: at enim vero hīc loci de plane singulari maximeque memorabili defectione Paulus differit, quæ scilicet adventum Christi ad judicium in gentem Judaicam exercendum antecessura sit, & qua de re jam clanculum nefanda struerentur consilia. Ubinam vero gentium & loci deprehendimus ejusmodi memorabilem a Christiana religione defectionem ante Hierosolymorum excidium & eversionem totius reipublicæ judaicæ? nuspian certe. Ad Pontificem Romanum post septem & quod excurrit, secula, defectionem istam, obtorto quasi collo, qui trahere conantur, primum non perpendunt, jam Pauli temporibus clandestina ea de reconcocta fuisse molimina, cum de dignitate pontifica ii, qui Christo nomen dederant, tunc ne per somnium quidem cogitarent; deinde Pontificem Romanum a fide in Christum descivisse, perperam supponunt. Ergone vetera symbola, Apostolicum puta, Nicænum, reliqua, repudiavit ac damnavit summus ille ecclesiæ occidentalis Præses? Ως εν παραδω moneo, frustra hic subsidio vocari Johannem, qui Cap. II. 19, 22. & IV. 2, 3. Antichristi meminit. Antichristus enim, qui, ipso Johanne teste, jam apparuerat, secundum ipsius definitionem, is est, qui negat, *Iesum esse Christum*, qui negat patrem & filium, qui negat, *Christum in carnem*



venisse. Præterea *Antιχριστος*, cuius loco nostro Paulus meminit, cum *Antιχριστω* aperte commiscetur. Omnis enim *Antιχριστος* est quidem *Antιχριστος*, sed non omnis *Antιχριστος* est *Antιχριστος*. Ego expresso Johannis effato firmiter innixus parum curo, quid alii hac de re sentiant.

Cum igitur ex antea deductis patere, non absque ratione, existimem, loco nostro Paulino de defectione a fide in Christum nequaquam sermonem esse; civilem defectionem sive seditionem hic indigitari, statuamus necesse est. Num vero aliam novimus, quam totius reipublicæ Judaicæ defectionem a Romano Imperatore, cui tunc terrarum orbis parebat fere universus?

Jam eo redeunt omnia, ut ex totius Cap. II. nexu evincamus, cuncta inter se congruere optime, quando, Paulum ex sensu Christi & signis ab eo propositis talem Judæorum defectionem prædixisse, statuimus. Quoniam vero, tum ob temporis penuriam, tum præsentem preli nostri conditionem, rem uberiori pertractare mihi non licet; Paulus παραφρασικῶς dicturus in medium prodeat:

„ Hoc quidem tempore de nulla alia re magis, quam de adventu Christi differitur. Plurimi autem præconceptam hac de re fovent opinionem. „ Jam Christi ætate omnes Judæi anxie expectabant Messiam, sive Regem a Deo unctum, qui jugum Romanorum a cervice ipsorum excussurus esset. „ Insigni a Jesu edito miraculo, magna eorum turba vi eum comprehendente & Regem proclamare in animum induxerat. Ipsos Apostolos post resurrectionem ejus tali errore adhuc constrictos fuisse, novimus. Ex eo enim quærebant, num regnum Israeliticum in pristinum restituere statum, haberet in animo? Nec minus hodierno tempore plerique hisce delectantur figmentis. Multi, qui Prophetas se esse, vel fingunt, vel somniant, & ore & scriptis, imo vero portentis & prodigiis, propinquum esse adventum Messiae, annunciant. Venturus omnino est Christus, non vero ad constituendum novum regnum Judaicum, sed ad iudicandum, ad diruendam universam Judæorum rempublicam, cultumque Leviticum. Ansam huic illustri judicio, ex nutu summi Numinis, præbebit defectione Judæorum a Romano Imperatore. Nefarius huius seditionis atque inde oriundi exitii auctor prius in lucem prodibit captis, que



„que armis Cæsaris præsidia in Urbe Hierosolyma adorietur; tum vero se
 „exalabit super omne, quod divinum & Augustum dicitur; ipse tanquam
 „Deus, seu summus magistratus, in templo Hierosolymitano, ceu Regia,
 „sedebit, regiamque præ se feret majestatem. Nonne ista omnia me præ-
 „sentem apud vos commemorasse, recordamini? Jam jam hinc inde clan-
 „destina agitantur consilia; est vero non nemo, qui ea, qua pollet auto-
 „ritate & facundia, animos rebelles ac seditiosos compescit & supprimit.
 „Is autem cum ex urbe expulsus (e medio sublatus) fuerit; statim erum-
 „pet seditio & aperto Marte aget dux sceleratissimus, utque eo facilius ad
 „metam pertingat propositam, conciliabit sibi falsos Prophetas, qui arti-
 „bus fraudulentis, speciem miraculorum habentibus, vana spe novi con-
 „stituendi regni, plebem demulceant. Atque hoc quidem erit momen-
 „tum istius temporis, quo Christus, non quidem oculis corporis, sed
 „mentis, conspiciendus, cœlesti majestate coruscans, justitiam ultricem
 „in populum Judaicum, a quo ipse, verus Messias, rejectus fuit, armis
 „Romanorum usus, ad interitum tum reipublicæ, tum religionis Judaicæ,
 „exercebit.

Jam officii mei me monet ratio, vt publice significem, ali-
 quot disciplinæ nostræ alumnos, quos & industria & moribus
 mihi commendatos habeo, imo & aliis volo, die XXII. Sept.
 hora 2. postmer. tum Scholæ Patronis, tum Præceptoribus di-
 cēturos esse vale. Agit autem

BERTRAMUS BOEDEKER Altenesch, de usu belli morali.
 serm. lat.

JOH. GERHARDUS PLEZKY Oldenb. veri honoris studium
 excitandum magis, quam comprimentum esse, docet.
 lingv. vern.

HINRICUS CHRISTIANUS FRIDERICUS ESMARCH
 Rastedensis, cur inter mortales tam rara sit virtus, causas
 affert. eod. serm.

THO.



THOMAS ZWERGIUS Flensburg. de nexu Physices cum
Theologia necessario verba facit eod. serm.

Quos ut benevole atque amice audire non dedignantur civitatis huius
Proceres & quicunque a Musarum honore non abhorrent, omni, qua de-
cet, submissione atque observantia rogo.



HERMANUS BOEDERICUS ALEXANDER DE LIPPE

JOH. GERHARDUS PLEINIA OLYMPIÆ VELL. IONONIS FEDERI
EXQUISITISSIMA HISTORIA, QVAM CONFIRMATIONE ETIACUM
JURIS ACTU

PHYSICÆ CHRISTIANÆ TRINITATIS ESSENCE
TESTIMONIA, QVAM IN TERRIS TERRÆ IN ASTRIS CVM
SUNT

